

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XV. Contra rectores ecclesiarum clandestina matrimonia contrahentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

354 GREGORIVS CONCILIVM FRIDERICVS II. IMP.
P. IX. HENRICVS III. R. ANGLIE.

sonatus , seu beneficia curam animarum habentia ,
contra constitutionem Concilii generalis absque
dispensatione sedis apostolicae speciali præsumunt
in salutis suæ periculum detinere.

XIV.

Quoniam de habitu clericorum , qui non cleri-
calis videtur , sed potius militaris , graue scanda-
lum laicis generatur , firmiter statuendo præcipi-
mus , vt ad formam tam de vestibus clericorum
quam de ornamentis equorum in generali Conci-
lio edictam per subtractionem beneficiorum ab e-
piscopis restringantur , ita quod in mensura de-
centi vestes habeant , & cappis clausis vtantur in
sacris ordinibus constituti , maxime in ecclesia , &
coram prælatis suis , & in conuentibus clericorum
& vbique in parochiis suis , qui cum animarum
cura ecclesias suscepereunt. Et vt possint episcopi
alios melius ad honestatem vestium , tonsuram &
coronam decentem , & equorum ornamenta ido-
nea coarctare , prouideant vt a suis clericis com-
mensalibus hæc prius faciant obseruari , habentes
eos in vestibus , calcaribus , frenis & sellis , clericalis
gerentes habitum honestatis.

XV.

Innotuit nobis referentibus plurimis fide di-
gnis , quod multi propriæ salutis immemores , ma-
trimoniis contractis clandestine retinere cum v-
xoribus ecclesias , & ecclesiastica beneficia adipi-
sci , & de nouo promoueri ad sacros ordines , contra
statuta sacrorum Canonum , non formidant. De-
inde processu temporis , proli susceptæ de tali co-

ANNO CHRISTI 1137.
pula expedire videtur , ipsis viuentibus vel defun-
ctis , per testes vel instrumenta probare contracta
fuisse matrimonia inter eos . Verum quia per cle-
ricos matrimonio seu contubernio intendentes
procurari animarum perditio , negligi salus earum ,
& ecclesiastica diripi sub morbo , qui multum in-
ualuit , asseritur , sic duximus occurendum , vt si re-
pertum fuerit aliquos taliter contraxisse , & ab ec-
clesiis & ecclesiasticis beneficiis , quibus tam eos
quam quolibet vxoratos fore decernimus ipso
iure priuatos , remoueantur omnino : & si quæ bo-
na post huiusmodi matrimonium qualitercum-
que quæsita fuerint , per ipsos vel submissas per-
sonas de bonis eorum , ea nequaquam filiis vel
vxoribus huiusmodi , sed ecclesiis quas tenuer-
unt , vel in quibus habuerunt beneficia , proti-
nus applicentur . Ipsi quoque filii ad ecclesias , &
ecclesiastica beneficia , & ecclesiasticos ordines ,
velut inhabiles , nullatenus admittantur , nisi cum
eis , exigentibus eorum meritis , fuerit canonice dis-
pensum .

XVI.

Licet ad profligandum a laribus ecclesiæ pu-
tridum illud turpitudinis libidinosæ contagium ,
quo decor ecclesiæ grauiter maculatur , studue-
runt semper ecclesiastici correctores , ipsum tamen
tantæ improbitatis existit , vt semper se ingerat im-
pudendum . Nolentes igitur tantam ecclesiæ ignominiam connuentibus præterire oculis incor-
reptam , statuta Romanorum pontificum , & ma-
xime decreta Alexandri papæ super hoc edita , se-

Concil. Tom. 28.

Yy ij